

vivente unicum vel plura dari principia vitalia actu distincta, sed dicimus ubicumque est principium vitale, illud adesse ut formam substantialem, et nullam aliam formam essentialem adesse diversam (corporeitatis).

**Prob.** Ut principium vitale dici possit forma substantialis unica, requiritur et sufficit : 1) ut sit pars essentialiter distincta a materia, — 2) et ab omni alia forma inferiore substantiae materialis brutae; — 3) ut sit pars constitutiva substantiae viventis, ut viventis, — 4) et ut substantiae corporeae; — *a.* haec obtinent; *e.*

*Ad min.* 1 part. (*distincta a materia*) est evidens ex praedictis.

*Ad 2 part.* (*ab omni alia forma*) patet ex propositione praecedente 9<sup>a</sup>.

*Ad 3 part.* (*constitutiva ut viventis*) patet ex ipso statu quaestionis.

*Ad 4 part.* (*constitutiva ut substantiae corporeae*). Illud quod tribuit corpori ut sit tale corpus (vivens), tribuit et ut sit corpus et substantia; *a.* principium vitale tribuit ut sit tale corpus (vivens); *e.*

*ad maj.* Secus essent duo principia essentialiter determinantia idem subjectum, et quidem aut ut coordinata, aut ut subordinata; — *a.* si prius : idem subjectum habebit aequae immediate et principaliter duas essentias distinctas et aliquomodo oppositas, quod repugnat fatentibus ipsis adversariis; — *si posterius* : prius principium constituens primo rem essentialiter erit forma substantialis, alterum principium superadditum jam non primo constituet essentialiter, sed rem constitutam secundario modificabit, ac proin accidentaliter erit forma, non essentialis; *e.*

**Coroll.** Ergo jure definitur (describitur) principium vitale seu anima : *actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis*; scilicet :

1) *actus*, quia est forma substantialis corporis viventis, ac proin opponitur potentiae subjectivae;

2) *primus*, quia dat corpori primum esse simpliciter, essentialiter et specificum; seu primum radicale principium operationum;

3) *corporis*, i. e. *compositi* ex materia et anima; non autem *partis* jam constitutae in suo esse, et cum anima componendae;

4) *physici*, quia est reale et naturale, non artificiale;

5) *organici*, quia partibus constat heterogeneis, peculiare functiones habentibus;

6) *potentia vitam habentis* : *a.* quia est in potentia activa ad vitam accidentalem seu in actu secundo, i. e. ad actiones vitales; sic sumitur corpus ut *compositum* ex materia et anima; — *b.* quia est in potentia passiva ad vitam substantialem, seu in actu primo, i. e. ad facultates vitales; sic sumitur corpus ut *contradistincta materia* ab anima.

#### Propositio 11.

Principium vitale plantarum non est in se subsistens; seu non est a materia cui vegetationem tribuit independens quoad esse.

**Stat. quaest.** 1) De perfectione essentiali et intima natura principii

vitalis vegetativi quaeritur. Sed jam responsio non potest esse generica. Reservanda enim est disquisitio ejus principii vitalis quod in corpore simul sensitivo residet, et a fortiori quod in homine rationali. Hic ergo quaestio restringitur ad solas plantas in quibus solae operationes vegetales cernuntur, ac principium vegetale tantum existit.

2) Affirmamus principium vitale plantarum subjecto indigere informationis ad existendum.

**Notiones.** 1) *Subsistens in se* dicitur aliquid variis sensibus; nimirum : *a.* sensu latissimo : id quod non est *accidens*, i. e. substantia, vel substantiale quodlibet; — *b.* sensu lato : id quod non est *inhaerens*, i. e. quod in sua essentia et existentia non dependet a subjecto suo, etiamsi sit forma aliqua informans subjectum, v. c. anima humana; — *c.* sensu minus lato : id quod non est *incompletum*, i. e. substantia completa qualis existit; — *d.* sensu stricto : id quod non est *assumptum* in unionem cum natura superiore, i. e. hypostasis (cfr. ontolog.).

2) Principium vitale plantarum in hac propositione negamus subsistere in se, non sensu *a.*, quia jam cfr. prop. 9; — non sensu *c.* vel *d.*, quia jam prop. 10, et cfr. ontolog.; — sed sensu *b.*

**Prob.** Qualis operatio, tale est esse a quo operatio procedit; *a.* operationes principii vegetativi plantarum non sunt independentes a materia; *e.* nec ipsum principium.

*Ad maj.* Necessario agentia non possunt aliquam vim activitatis suae retinere, sed agunt quantum possunt quoties conditiones requisitae adsunt; *a.* esse rerum manifestat se operationibus (debent congruere naturae rerum unde fluunt); *e.* prout ens est independens vel dependens, etiam in operationibus se manifestat ut independens vel dependens; *e.* si *totam* operationem entis necessario agentis inspicimus, possumus concludere ad principium.

*Ad min.* Ad operationes vegetales ita necessaria sunt organa corporea, ut sine his haberi nequeant ipsae; *e.*

**Objic. 1<sup>o</sup>** Ex eo quod aliquid ab altero dependeat quoad operationem, non sequitur illud pendere in essendo. — *R. d.* si dependet tanquam a conditione operationis, *c.*; si ut a causa, *n.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Ut valeat argumentum, deberet nihil esse posse in causa, quod non sit in effectu; *a.* hoc est falsum; *e.* — *R. d. maj.* ...i. e. effectus deberet aequare totam causam, *n.*; i. e. effectus, si *totus* sumitur, debet manifestare causam qualis est, *c.*

**Coroll.** Ergo etiam dici debet anima plantarum esse *forma materialis*, i. e. non quidem composita ex materia ut ex parte, sed componenda cum materia ut cum comparte, et hanc compositionem vi essentiae suae requirens ad existendum.

## Propositio 12.

**Principium vitale plantarum, licet actu unum, potentia tamen multiplex est, et indivisibile subjecto quod informat.**

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur de principio vitali plantarum, sitne simplex an compositum; et quidem agitur de compositione ex partibus integrantibus. Restrigitur autem quaestio ad solas plantas: cfr. prop. praec.

2) Duplex sententia: a) Platoniorum et recentiorum vitalistarum plerumque: principium esse simplex et indivisibile; et proinde in una planta non unum esse principium, sed associationem plurimorum principiorum individuorum, quod scilicet per divisionem partes viventes obtineri possunt, v. c. rami, propagines; — b) Peripateticorum: unum esse in singulis plantis principium, i. e. actu non divisum, continuum; sed divisibile ac proinde potentia multiplex, ita ut partes divisae existere possint tanquam nova individua.

3) Divisibile potest aliquid esse vel immediate, in se, si in seipso attingi et dividi potest; — vel mediate, ratione subjecti, si in se non potest attingi, sed dividitur quum dividitur subjectum quo extenditur seu cui coextenditur, v. c. calor, color, etc. — Hoc sensu dicimus illud principium condividi.

4) Abstrahimus hic a quaestionibus: a) utrum heterogeneae sint an homogeneae partes; — b) de separatione seminis per generationem, et de natura hujus seminis: sitne novum individuum completum in ratione plantae, an mera pars mox perficienda in individuum novum completum; — negamus igitur solam divisionem in organismo ipso dum planta in ratione substantiae vegetativae complete constituta est.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (est actu unum).** 1<sup>o</sup> Planta, qua planta, est unus organismus, cujus partes sibi mutuo deserviunt, et a se mutuo dependent; a. haec unitas provenit ex principio vitali, et manifestat ejus actualem unitatem; e.

**Ad maj.** 1) Singulae partes dependent a toto, et inserviunt toti; et 2) unitas haec non est qualiscumque, ex sola connexionione partium ut viventium; sed 3) una est vita quae prosequitur unum finem, scilicet omnes operationes vitales tendunt ad completam perfectionem plantae constituendam; e.

**Ad min. 1 part. (provenit ex principio vitali).** a) Collectio partium ut viventium non potest esse nisi a principio vitali; — b) unitas ipsius organismi determinatur a principio vitali; nam sola materia bruta non potest ullum organismum producere; — c) in operationibus plantae est unitas finis; a. operationes vitales procedunt ex principio vitali; e. et haec unitas procedit ex eo principio.

**Ad 2 part. (manifestat unitatem).** Est effectus vitalis unus; a. unus effectus vitalis non potest procedere a duobus principiis vitalibus omnino distinctis (nam: effectus vitalis immanens, non transit ad aliud omnino distinctum, ad aliud suppositum; sed principium vitale omnino distinctum ab alio, constituit cum suo organismo speciale suppositum, habetque actionem omnino propriam).

**Prob. 2<sup>o</sup>** Si principium vitale non esset actu unum, sed multiplex, quodlibet principium attraheret omnia ad se, ad suum organismum, propter immanentiam actionis; a. sic non una sed plures plantae constituerentur, quod est contra experientiam; e.

**Ad maj.** Singula principia formarent suum organismum (nam vita consistit in immanenti actione); e. unumquodque solum se perficeret, se nutrirer, se augeter, in se aliquid produceret.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (est potentia multiplex).** Rami ab arbore soluti, et debito modo aut alteri arbore aut terrae inserti, vivere pergunt; a. nulla est ratio assumendi principium illius vitae continuatae aliunde esse immissum; e. vivunt primo principio quod separatione facta constituit novum et quidem unum organismum.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (condivisibile subjecto).** 1<sup>o</sup> Subjecto informationis condivisibile est illud quod subjectum divisum comitatur, seu divisione subjecti dividitur; a. principium vitale comitatur partes divisas, seu divisione subjecti dividitur; e.

**Ad min. 1)** Ex eo quod videmus nunquam alio modo dividi, recte concludimus alio modo dividi non posse; et 2) non requiritur ut plantam quaecumque et quocumque modo dividere possimus; sed sufficit ut plerumque sub certis conditionibus.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Divisio actualis fieri potest tantum ratione subjecti informati, non ratione principii informantis, si ipsum principium in se non potest subijci divisioni; a. ita est in plantis; e.

**Prob. min.** Principium vitale plantarum non potest in se attingi (nam in se non subsistit, habet esse dependens a materia ut a subjecto informationis); a. si non potest in se attingi, neque poterit in se dividi; e.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Forma substantialis est simplex; a. principium vitale est forma substantialis; e. — R. d. maj. i. e. sine partibus constituentibus, e; sine partibus integrantibus, sd. omnis forma, n; aliqua, e; — c. min; — d. par. cons.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Divisibilitas requirit augibilitatem; a. haec non est in principio vitali; e. — R. c. maj. — n. min. — Prob. min. Ut augeatur deberet sua actione producere esse substantiale; a. hoc non potest; e. — R. c. maj. — n. min. — Prob. min. Actio est semper accidens; a. accidens nequit producere substantiale; e. — R. tr. maj. — n. supp. min. actionem solam producere...; sed principium (actione) agens producit.

**Objic. 3<sup>o</sup> (contra argumentum 1<sup>ae</sup> partis).** Duae causae possunt producere unum effectum. — R. d. possunt... ad extra, tr; ad intra, n. (effectus immanens non procedit ab aliquo individuo extrinseco).

**Instant.** Sensatio, una et immanens, oritur ex duplici principio; e. etiam in planta duo principia possunt producere unum effectum. — R. d. ant. ex duplici... subordinato..., c; coordinato, ita ut utrumque sit pro se totum, n.

**Schol.** Quaeritur utrum principium vitale etiam componi possit, sicut dividi potest. — R. 1) Si ramus ab arbore abscissus, et terrae insertus, jam crescit,

tum habet principium speciale; sed tollantur ejus radices, et rursus conjungatur. *cum arbore a qua desumptus erat* : utrum unum an duplex principium?— Videtur unum, nam principium rami abscissi jam existit cum subordinatione ad prius, et ejus fit pars integrans.

2) Si ramus melior inseritur arbori deteriori, sed *ejusdem speciei*, videtur valere eadem ratio, et jam fieri unum principium compositum.

3) Si ramus inseritur arbori omnino *alterius speciei*, alii dicunt fieri unum principium, sed constans partibus heterogeneis (quia omnino alii fructus producuntur); alii non fieri proprie et stricte unum principium (quia unumquodque alias formas producit);— videtur ergo esse aliquod medium inter proprie dictam unitatem per insertionem, et plantas parasitas, quae habent proprium principium et sunt cum arbore unum per accidens.

## ARTICULUS 2.

*De principii vitalis ortu et propagatione.*

### Propositio 13.

**Principium vitale probabilius jam ab initio in ipso semine, seu ovulo fecundato praeexistit.**

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur quando incipiat existere principium vitale vegetativum novum; scilicet utrum jam in semine, i. e. quum primum fecundatum est ovulum polline, an tunc solum quum ex semine factum fuerit corpus novum sufficienter organisatum. Ponitur iterum quaestio de omni vegetante, sive planta, sive animale, sive etiam homine; et valent, servatis servandis, eadem argumenta de omnibus; magis tamen immediate ad plantas attendimus.

2) Affirmant plerique recentiores : vesiculam embryonalis ovuli, postquam influxum fecundativum pollinis in se recepit, statim vivere propria vita; atque activitate propria jam se nutrire et evolvere in organismum magis magisque aptum et specificum.

3) Affirmant antiquiores cum Aristotele : semen non vivere (propria vita sua) nisi in potentia, nempe ovulum in potentia passiva, pollen in potentia activa; neutrum, nec compositum ex utroque, in actu. Scilicet pollen receptum in ovulo movet vesiculam motu quodam non physico, mechanico, sed interiore proprio, qui dicitur vis activa seu formatrix seminis, recipiturque tanquam impulsus a generante : hujus actione plasmatur vesicula et transformatur in corpus organisatum; et post varias transmutationis phases ac sufficientem organisationem elaboratam, anima novae plantae inducitur. — Cfr. S. Thom. de pot. q. 3. a. 12. ad 11; a. 11. ad 7; et 1 p. q. 118. a. 1.

4) Supponimus ut ex experientia satis clarum, non pollen solum, nec ovulum solum, jam actu vivere vitam compositi specifici, et manet quaestio

solum de semine integro composito ex semine masculino seu polline fecundante, et semine femineo seu ovulo fecundabili; ad quam solam in propositione respondemus.

5) Semen, saltem masculinum, in animantibus, etiam ante fecundationem seu compositionem, vivere aliqualem sibi propriam imperfectam vitam, observationibus microscopicis constat. Idem de polline plantarum nondum constat, sed ex analogia concludere liceret, id minime esse improbabile.

**Prob.** Quale operari tale est esse; — *a.* in semine integro composito : 1) apparet ab initio operatio una; — 2) operatio immanens nutritionis, auctio- nis, evolutionis; — 3) gratis admitteretur explicatio per operationem plasticam transeuntem unius partis in alteram; — *e.* semen ab initio jam actu vivit (seu habet actu principium vitale), initialiter quidem et imperfecte, sed ita vere, ut propria operatione organisationem suam specificam sibi acquirat paulatim et vivat perfectius.

*Ad min. 1 part. (est una).* *a.* Effectu producto, *b.* finalitate (nam tendit unice ad perfectionem proprii individui).

*Ad 2 part. (est immanens).* Semen non in circumjacentes materias extra se agit, nec ab iis patitur mutationem, sed eas in se assumens transmutat in suam substantiam paulatim organisandam.

*Ad 3 part. (gratis admitteretur).* *a.* Nulla ratio experimentalis : patet; — *b.* nulla ratio theoretica : cfr. objectiones infra.

**Objic. 1°** Natura solet procedere ab imperfecto ad perfectum; *e.* prius organisat accidentaliter fetum, quam inducat animam seu principium substantiale. — *R. tr. ant.* — *n. cons.* — vel *d. cons.* novi viventis primae operationes sunt imperfectiores sicut ipsum principium, et tendunt ad perficiendum organismum ejusque operationes, *c;* secus, *n.*

**Objic. 2°** Animae essentia est esse formam et actualitatem corporis organisati; *a.* repugnat corpus nondum organisatum habere actualem formam corporis organisati; *e.* — *R. d. maj.* corporis organisati quando est organisatum, et corporis organisandi quamdiu nondum est organisatum, *c;* secus, *n.* — *d. min.* si est forma in se subsistens, *n;* si est forma essentialiter materialis (sicut in nostro casu), *sd.* repugnat in corpore nondum plene organisato esse formam perfectam corporis jam plene organisati, *c;* repugnat in eo esse formam aequae imperfectam, quae cum eo aequae perfectior fiet per activitatem vitalem, *n.*

**Objic. 3°** Teste experientia, si corpus organicum essentialiter laeditur, statim anima ei inexistere desinit; *e.* nequit inesse in corpore non sufficienter organisato. — *R. d. ant.* statim, *n;* post tempus aliquod, satis breve, et quidem per motum aliquem continuum a forma vitali perfecta ad imperfectam et dein cadavericam et tandem alienam, *c;* — *d. cons.* ubi haec non organisatio est contra naturam violenta turbatio essentialis, *c;* ubi haec non organisatio est naturalis via ad organisationem, *n.* (talibus turbatio attingit non solum materiam organisatam, sed ratione ejus ut subjecti, ipsam ejus formam).

**Coroll.** Ex modo dictis sequitur mortem, i. e. solutionem animae et corporis, seu (hic) desitionem animae tunc fieri quum corpus ineptum efficiatur functionibus vitalibus implendis; quod ex tribus provenire potest:

a) ex defectu conditionum exteriorum, v. c. physicarum et chemicarum ad exercitium vitae necessariorum;

b) ex violentia extrinseca organismum abrupte;

c) ex senio organa conficiente, nam progressu temporis opplentur tubuli ac vasa; tunc motus et circulationes humorum remittuntur, cum motu calor, cum calore vitalis assimilatio ac nutritio ac proinde vita.

#### Propositio 14.

**Plantarum principium vitale saltem aggeneratione et divisione, in perfectioribus etiam proprie dicta generatione producitur.**

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur quomodo principium vitale plantarum producatur, crescat, etc. Videmus experientia, plantas generatione produci; sed quaeritur speciatim de ipso principio vitali.

2) E cosmologia scimus formam substantialem materialem pendere a materia subjecta: a) ut fiat, — b) ut conservetur, — c) ut operetur, — d) et quidditative (i. e. nec definiiri nec concipi posse sine ea).

3) Origo formae concipi potest ita ut sit: a) *cum materia*: si totum compositum creatur; — b) *ex potentia materiae*: corruptione unius et generatione alterius, generatim; — c) *in materia*: anima humana (cfr. psych.) quae creatur ex nihilo, sed in subjecta materia praeexistente.

4) *Generatio sensu lato* (cfr. cosmolog.) est transitus materiae a privatione alicujus formae ad acquisitionem illius formae.

*Sed sensu strictiore* (de viventibus) est processus seu origo viventis, a principio vivente conjuncto, in similitudinem naturae specificae; scilicet:

*processus seu origo viventis*, i. e. novi individui viventis;

*a principio vivente*, i. e. quod sit ratio sufficiens seu causa novi viventis;

*conjuncto*, i. e. quod non sola actione vel influxu suo causet novum vivens, sed propria sua substantia vel substantiae suae parte concurrat ad constitutionem novi viventis;

*in similitudinem*: influxus generantis ad hoc formaliter, non per accidens, tendat ut novum individuum sit simile generanti;

*naturae*: sit ista similitudo geniti cum generante, non accidentalis, qualiscumque, sed essentialis substantialis;

*specificae*: etiam haec similitudo sit non qualiscumque, v. c. generica, sed sit ultimo specifica. — Non tamen requiritur ulterior determinationis similitudo quam specifica, v. c. distinctus vel similis sexus, vel varietates.

5) Productio novi individui, plantae, et principii vitalis, fit

a) *divisione* plantae in duas plantas ac proinde principii vitalis in duo principia; si v. c. clavula abscinditur.

b) *aggeneratione*: si nutritione augetur etiam principium vitale, cujus novae partes decisae fiant nova individua; v. c. per novas taieolas.

c) *generatione proprie dicta*: si vivens producat semen imperfectum (i. e. pollen vel ovulum) quod de se non vivat, sed quod in semen perfectum (ovulum polline fecundatum) compositum vivere incipiat ut novum individuum; ita ut ex generante decidatur aliquid non actu sed potentia tantum vivens.

6) Productio novi individui et principii vitalis, per *solam divisionem* sine aggeneratione potest quidem concipi, imo fieri; sed ista neque in indefinitum perfici posset, quod patet, neque in ordine naturae invenitur, sed tantum arte humana vel raro casu fit. — De hac ergo in praesente propositione non agimus, sed de divisione cum aggeneratione, quae tum arte tum sponte facta invenitur, et ad indefinitam propagationem sufficere potest.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*aggeneratione et divisione*). 1<sup>o</sup> Certum est plantas posse propagari divisione; a. hoc esset impossibile sine aggeneratione; e.

*Ad min.* Si principium vitale non posset augeri, deberet semper debilius fieri per divisionem; a. hoc est contra experientiam; e.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Principium vitale plantarum pendet a materia, non solum in conservatione sed et in productione; e. dum nutritione novae partes corporis vivi in plantis accrescunt, debent etiam novae partes principii vitalis accrescere.

**Prob. 3<sup>o</sup>** Principium vitale plantarum informat, postquam planta crevit, majorem massam quam antea; a. hoc fieri non potest nisi ipsi principio partes accrescant; e.

*Ad min.* Non potest informare per solam majorem praesentiam (nam habet partes, ac proin non potest esse totum in toto, et totum in singulis partibus); nec per aliquam explicationem, ita ut v. c. sit in prima cellula quasi millies complicatum, et postea se evolvat (nam illas complicationes deberet habere ipsum principium in se, ac proin in se subsistere; dein etiam debilitaretur divisione)

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*generatione*). Proprie dicta generatio est admittenda si non repugnat; a. non repugnat; e.

*Ad maj.* Explicatio rei tam obvia, tam concors cum experientia, tam sola obvia, debet admitti, quamdiu non aliqua ratione evidenti cogimur ut eam corrigamus, aliamque minus obviam substituamus; a. sola talis ratio evidens opposita esset intrinseca repugnantia explicationis; e.

*Ad min.* Non repugnat generatio proprie dicta, si 1) non repugnat productio materiae novae plantae, 2) nec productio novi principii vitalis, 3) nec conjunctio utriusque; a. nihil horum repugnat; e.

*prob. min. 1 part.* (*non repugnat productio materiae*). Planta vivens potest inducere in aliquam materiam dispositionem talem ut apta sit ad informationem per principium vitale; nam se nutriendo transmutat substantias in suam substantiam vivam.

*prob. min. 2 part.* (*productio novi principii*). a) Unica ratio cur repugnaret

produci ab ente finito novam formam substantialem non subsistentem, esset quia ens finitum non potest creare; *a.* producere talem formam, non est creare; *e.*

b) Ad omne, quod materia naturaliter effici potest, efficiendum, sunt etiam vires sufficientes in rerum natura; *a.* :  $\alpha$ ) materia fieri potest corpus vivens. —  $\beta$ ) producere aliquod corpus vivens, est producere aliquod corpus informatum principio vitali; —  $\gamma$ ) vires hoc producendi nec sunt in materia bruta nec in animantibus (si agitur de planta), nec in homine; — *e.* sunt naturaliter in ipsa planta.

*prob. min. 3 part. (conjunctio utriusque).* Si planta novum principium producit, illud producit in aliqua materia; *e.* eo ipso habetur unio.

**Resum. idem argum. brevius.** Planta in augmentatione suae substantiae producit novas partes suae substantiae, ac proin etiam novas partes principii vitalis, per aggenerationem; *a.* si ita est, jam impossibile non est ut planta novam substantiam producat proprie dicta generatione, dummodo aliae conditiones adsint; *e.*

**Objic.** Ut principium vitale posset augeri aggeneratione, vel generatione produci, deberet planta aliquid substantiale producere; *a.* hoc non potest; *e.* — *Prob. min. 1)* Deberet aliquid ex nihilo producere (quod non potest); — 2) actio accidentalis deberet aliquid substantiale producere; — 3) esset creatio, scilicet ex nihil sui : patet, et subjecti : in quo nullo modo continetur.

*R. 1° tr. maj. — n. min. (teste experientia!...).*

*R. 2° n. supp. (principium vitale produci vel augeri pro se solo; — sed ratione subjecti producitur et dependenter ab eo).*

*R. 3° ad singula prob. min. : ad 1) : d.* aliquid, i. e. ens completum, *n;* ens incompletum, *sd.* ex nihilo sui sed non subjecti, *c;* ex nihilo sui et subjecti, *n.* — *ad 2) : d.* actio accidentalis ut causa principalis, *n;* non ut id quod producit, sed ut id quo (activitas qua) substantia agit, *c.* — *ad 3) : n.* (cfr. sup.).

### ARTICULUS 3.

*De specificis varietatibus principii vegetativi.*

#### Propositio 15.

**Generatio aequivoca admitti nequit.**

**Notiones.** 1) *Species* est natura pluribus individuis, plus minus sibi invicem similibus, communis, quae possint concipi ut unius primaevi parentum paris soboles.

*Speciei characteres* sunt filiatio indefinite fecunda, et aliqua figurae ac operationis similitudo.

*Varietas* est alicujus individui natura, a typo communi aberrans notabiliter.

*Stirps* est varietas generatione pluribus transmissa.

2) *Generatio univoca* ea est qua generatur proles a parente ejusdem specificae naturae. — *Generatio aequivoca*, qua a parente specificae alterius naturae.

**Stat. quaest. 1)** Quaeritur utrum viventium, tum plantarum tum animalium, species sint fixae, an possint aliae in alias per generationes mutari.

2) Alii *fixitatem exaggeratam* tenentes, negant stirpes ejusdem speciei ab uno parente derivari posse; unde concludunt etiam pro homine fuisse plura creationis centra.

Alii *fixitatem minus extensam* admittunt : species in stirpes variari posse, non autem species in species alias; quae est opinio communis, et nostra.

Alii *fixitatem aliqualem, non perpetuam*, agnoscentes, putant per generationem aliquando unam speciem ex alia, *per saltum*, oriri posse; imo factum esse affirmant ut sive aliae plures ex aliis pluribus, sive omnes ex paucis, sive omnes ex unica ortae sint, tum plantarum tum animalium species. — Vocatur hoc *systema descenditiae* aliarum ex aliis speciebus per generationem aequivocam.

Alii *fixitatem nullam* admittentes, dicunt species omnes alias in alias variari posse, et de facto variatas esse, per lentam continuam transformationem successivam. — Vocatur hoc *systema transformismi*.

3) Contra *systema descenditiae* speciatim praesens ponitur propositio.

**Prob.** Nullus effectus potest esse sine causa proportionata; *a.* in generatione aequivoca haberetur effectus sine causa proportionata; *e.*

*Ad min.* Supponunt adversarii organismos superiores, perfectiores ex imperfectioribus esse ortos; *a.* imperfectiori non est proportio ut ei naturaliter insit virtualiter perfectio superior; *e.*

**Objic. 1° Teste palaeontologia** in stratis terrae antiquissimis inveniuntur reliquiae petrefactae organismorum inferiorum, superiorum autem in recentioribus. — *R. a) tr. ant. — d. cons.* ergo haec post illa, *c;* haec ex illis, *n.* — *R. b) d. ant.* ita saepius est, *c;* ita semper et ubique quoad omnes organismos, *n.*

**Objic. 2° Teste anatomia** omnes organismi secundum eundem typum et regulam constructi sunt, ita ut systema quoddam naturale efforment; *a.* tanta uniformitas in tanta multitudine specierum, generum, familiarum, classium, ordinum explicari nequit nisi per descenditiam omnium ab uno; *e.* — *R. c. maj. — n. min.* (explicatur ex mente creatoris unitatem cum varietate conjungente, ad universi pulchritudinem).

**Objic. 3° Teste eadem anatomia**, in superioribus organismis inveniuntur quaedam organa rudimentaria, quorum jam nullus usus; *a.* tales reliquiae sunt ex antiquioribus formis, quibus utilia erant haec organa; *e.* — *R. a) tr. maj. — d. min.* sunt reliquiae organorum ad utilitatem solam olim datorum, *n;* sunt in aliis speciebus ornamenta venustatis, vel saltem vestigia unitatis typicae exemplaris, dum in aliis speciebus etiam ad utilitatem et usum ut organa evolutiora dantur, *c.* — *R. b) d. maj.* quorum nullus usus nobis adhuc notus, *c;* quorum nobis notum est nullum esse usum, *n;* — *n. min.*